



Lit.-Gesoh.

XV 665^a

Fridericus Münsterus, D.

Professor Harmerij.

D.D.

F. 665^a

#

B. c. D.
REGIÆ ACADEMIÆ
GUSTAVO-CAROLINÆ
SIVE
DORPATO-PERNAVIENSIS
HISTORIÆ
PARTICULAM PRIMAM
CONSENT. AMPLISS. FACULT. PHILOS.
PRÆSIDE
GUSTAVO SOMMELIO
PROFESS. REG. ET ACAD. CAROL. BIBLIOTHECARIO
AD PUBLICUM EXAMEN
PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
D. **XII** FEBRUARII A. MDCCXC.
DEFERT
SVEN GUSTAF SOMMELIUS
LUNDENSIS,
STIPEND. REGIUS ET PALMCREUTZIANUS.

LUNDÆ,
TYPIS BERLINGIANIS.



Theses

I.

Usus, quem in Theologia præstare dicitur Philosophia, non tam ad Theologiam, cui sua sunt domestica principia, quam ad Theogum pertinet.

II. In Systemate Copernicano defendendo non opus est frigida illa exceptione, qua Sacros Scriptores ad captum vulgi se accommodasse statuitur; cum convenientius dicatur, illos de rebus naturalibus loquentes satius interdum duxisse veritatem sequi optimam.

III. Propositionis disjunctivæ definitio, qua illam esse dicitur, in qua ex pluribus prædicatis unum omnino subiecto tribendum esse significatur, sed quodnam eorum tribui debeat, non determinuatur, angustior est suo definitio.

IV. Cur terminus improprius potius, quam proprius, indeterminatus dicatur, ex utriusque definitione, ut volunt Logici nonnulli, difficulter intelligitur.

V. Grammaticorum anomaliæ perfectioni Linguæ nihil detrahunt.

VI. Multæ apud Auctores classicos Latinos occurunt loquendi formulæ, quas observare quidem licet, male autem imitaremur.

EST
TMO Reamatutu

6420

132416214

B. L. S.

Quam traditurus sum Regiæ Universitatis Gustavo-Carolinæ s. Academice Dorpati-Pernavienensis Historiam, ea quidem ejusmodi est, quæ, sive utilitatis, quam affert, sive voluptatis, ex illa capienda, ratio habeatur, prolixiori non egeat commendatione. Utile enim esse literarum ac literatorum fata & vicissitudines, quarumque beneficio præcipuum florem suum res literaria debet, Academiarum natales & incrementa cognoscere, neminem fugit; nec facile quisquam adeo rudis est ac ferreus, ut ad doctos Viros adiens, quorum curis vigiliisque vigent ac florent literarum studia, horumque vitas & scripta legens mira, quam offerunt, fatorum scriptorumque varietate non commoveatur. Nasci autem & denasci huic Academiae conti-

a 2

contigit; defloruitque non vetustate, sed diuturniorem moram denegante hostili impetu. Ter vero inauguratam totiesque cessare coactam occasus & interitus tandem invasit; istaque fortunæ volubilitate necesse est periclitari quoque ejus historiam. Hanc igitur nec completam nec continuam promittere possum. Sparsa tamen colligendo aliquam ejus dabo descriptionem. Quamvis vero primas me ducere hujus historiæ lineas affirmare nequeam, cum in Sammlung Russischer Geschichte Vol. IX. Sect. 2. & 3. (prodidit hæc collectio Petropoli A. MDCCCLXIV. in 8:o) a. p. 95 ad 262. historia Academiarum Dorpatensis ac Pernaviensis occurrat, quam, svadente & libros ac MSS suppeditante Gerhardo Friderico Müller, consignavit Hartwich Ludvig Christ. Backmeister; inutilem tamen spero non fore, quam impendo, operam, dum & multa, quæ ab illo prætermissa sunt, addere queo, & emendar; haud pauca & possunt & debent. Fontes, ex quibus hausit Backmeisterus, ne ignorarent Lectores, Auctorum ac Monumentorum seriem ipsi descriptioni adjecit: & ita quidem Historicum decet; sic vero & patet, qua fide ille nititur, & cum ejus hanc me-

am historiolam comparanti liquet, in conquirendis testimonii me non duplicum tantum, sed longe majorem scriptorum numerum consulere necesse habuisse, id quod serie quadam Auctorum demonstrare in proclivi esset, nisi satius ducerem, ut in narrando progredior, ita, quæ uarrantur, testimonii confirmare. Alios vero, quam fide dignos, testes non producam, & si quando contingueret, ut alter alteri contradicat, utrius sublesta sit fides, allatis rationibus indicabo. Et hæc quidem est ratio hujus historiolæ, in qua consignanda multum me parentis indulgentissimi beneficio adjutum esse, ingenita mihi erga illum veneratione publice profiteri & agnoscere debeo, quippe cum, quæ ejus in me est indulgentia, aditum mihi ad analecta sua, Historiam Patriæ, imprimis literariam, illustrantia patefecerit: Hoc vero officium cum pari se benevolentia aucturum promiserit, promittusque ad reliqua persequenda sit animus; prodromum hunc plures subsecuturas esse partes, spem facere Humanissimo Lectori possum, si quos hoc meo studio delectari animadvertero. Interim plura colligere studiose pergam, quantumque in me est, præstabo, ut, si minus completa,

5 6
pletia, aliqua tamen prodeat istius Universita-
tis Historia, quam ut testem insiti innatiique
Regiae Familiæ Gustavianæ in literas amoris
proferre meum, exspectare Augustissimæ hujus
Gentis Regias virtutes mecum admirantis &
submisse venerantis Lectoris erit.

§. I.

Ex libris arma armorumque jura se didicisse fate-
ri non dubitavit ALPHONSUS Rex Arragoniæ *)
Nec quantum præsidii publicæ felicitati in literarum
studiis constitutum sit, ignoravit decus illud Regum
Magnus Svecorum Monarcha **GUSTAVUS**
ADOLPHUS. Hic igitur invictissimus Heros,
qui cum incomparabili virtute bellica inflammatum
in literas & literatos ardorem adæquavit, ne qua sub-
iectis sibi regionibus transmarinis deesset felicitas,
cum Livonia coniunctis Carelia & Ingria, hisque
provinciis dato unico Gubernatore a MDCXXIX,
educandæ juventuti prospicere quovis modo cœpit.
Huic enim literis artibusque imbuendæ sedem com-
modam elegit urbem Dorpatum, in fine Livoniæ
sitam & Careliæ Ingriæque propinquam: Locus
amoenus est & frugum fertilis, amni navigabili &
piscoso, cui nomen lingua Estonica est Emma-
joggi, Germanica & Svecica Embeck, quemque
duo lacus Peipus & Wortzjetw circumdant, adja-
cens.

*) ap. *Aeneam Sylvium* in ejus vita.

7
cens. Hac igitur in urbe, quo gens partim sim-
plex partim barbara literis ac pietat⁹ mature assue-
ficeret, scholam fundavit peculiarem, &, convocatis,
qui juventutem instituerent, Doctoribus, Regium
Collegium & Gymnasium VIII Professorum instituit.
Exercitiis hujus Gymnasiæ ædes, quæ antea Collegii
Jesuitici fuerant, assignantur, & communitate s. con-
viectu L. personarum, qui Regio viverent stipendio,
hoc institutum ditatur. Hæc vero instituisse & do-
nasce Rex beneficentissimus satis non habuit, sed
nota esse omnibus voluit, quo liberos suos ad hanc
bonarum artium & disciplinarum officinam mitte-
rent, quorum in gratiam fundata erat, trium Du-
catum Livoniae, Ingriæ & Careliæ incolæ. Ad
scholas igitur hasce frequentandas per Consiliarium
suum L. B. Skytte publico programmate, his ver-
bis consignato, invitari voluit: „Joh. Skytte senior
„L. B. in Duderhoff, Dominus in Grönsoö &
„Strömsholm, E. A. S. R. M. & Regni Sv. Sena-
„tor, Generalis Gubernator Ducatum Livoniae, In-
„griæ & Careliæ, Acad. Upsal. Cancellarius & Le-
„gifer citerioris Finlandiæ, omnibus ac singulis,
„cujuscunque conditionis fuerint, in Nominatis Du-
„catibus salutem. Quamquam Ethnici recte voca-
„runt Scholas virtutum bonæque politiæ seminaria,
„dum sciverint teneram juventutem, quæ in arti-
„bus liberalibus piisque moribus educanda sit, Scho-
„lis esse tradendam: Siquidem homo vitam a
„DEO, educationem vero a Præceptoribus in Scho-
„la percipiat. Nos tamen Christiani, qui non so-
„lum

„lum artibus virtutique studemus, sed pietatem
 „DElque cognitionem sectamur, studiosius Exerci-
 „tia Scholarum conservanda, & in locis a studiis
 „præsertim remotioribus instituenda meditabimur.
 „Non enim possunt Parentes suis relinquere libe-
 „ris Patrimonium, sive liberalius, sive durabilius,
 „quam piam educationem. Præterea si oculis ani-
 „mi intueri velimus cursum Orbis amplissimi, vi-
 „debimus omnium ordinum viros in summam æsti-
 „mationem beneficio studiorum liberalium perve-
 „nisse. Hoc dum pie consideravit Sereniss. ac Po-
 „tentiss. Princeps GUSTAVUS ADOLPHUS
 „Svec. Goth. Vand. Rex, magnus Princeps Fin-
 „landiæ, Dux Eſthoniæ & Careliæ, Dominus In-
 „griæ, Dn. meus Clem. exoptavit ſæpius his ter-
 „ris Exercitia artium liberalium, & nunc ipso facto
 „pietatem, & clementiam suam demonstrat, institu-
 „endo in hac sua Civitate Dorpatensi Scholam
 „particularem, simul cum Gymnasio, ubi juventus
 „tam ex Nobili, quam urbana & plebeja familia,
 „in Linguis Gallica, Lithuanica, Eſthonica & In-
 „grica, loquendo, ſcribendo, numerando, itemque
 „in studiis humanioribus, artibus liberalibus insti-
 „tuatur & erudiatur, ut patriotæ dicant ſuæ servi-
 „re Patriæ, officiis tam eccl. quam politicis dispo-
 „ſiti, ne sit deinceps opus vocare ex aliis terris vi-
 „ros, his laboribus idoneos

„Ordinavit ahuc pius noster Rex communem
 „mensam, ſustentationi pauperiorum diſcentium, hic
 „ſtudiis invigilantium, necessariam. Hanc S. R.
 „Maje-

„Majestatis Clementissimam ordinationem ſuſtantan-
 „di in hoc Collegio artium liberalium & lingua-
 „rum Profefſores, vobis Trium nominatorum Du-
 „catuum incolis ſignificare ratione officii debo,
 „non dubitans, unumquemque prudentem subdi-
 „tum hanc ſui Regis institutionem raramque mu-
 „nificentiam magnificare, extollere. Moneo, ut
 „ſinguli liberos vestros ad hanc ſcientiarum merca-
 „turam quantocuyus transmittatis. Artium exerci-
 „tia inter Profefſores ordinabuntur, & classes di-
 „ponentur, ut artes tam prælegendo quam diſpu-
 „tando diſcentibus ſedulo inculcentur, recteque Al-
 „phabetarii traſtentur. Hoc publice ſignificatum
 „volo, in cuius rei certitudinem ſigillum & ma-
 „num meam appono. Datum Dorpati 18 Aug.
 „An. 1630 *).

Facta hac invitatione, ſolenni more Gymnasium
 hocce inauguraſatur a. MDCXXX. d. 13 Octobr.
 adeoque proſpere cuncta ceflerunt, & ea incremen-
 ta cepit inititutum, ut de Academia, loco Gymna-
 ſii erienda, cogitare coepit dictas L. B. Joha-
 nes Skytte, cuius, hac de re consilium dantis, pre-
 cibus clementiſſime annuit Rex Auguſtiſſimus, quæ

b

ad

*) Vid. Frider. Menii Relatio von Inauguration der Uni-
 verſität zu Dörpat. Relatio hæc, 28 paginas in 4:o com-
 plens, edita est Dorpati a 1632. hoc dignior fide, quod
 Auctor hoc iplo tempore vixit, primusque fuit Histori-
 ar. & Antiquitatum in Acad. Dorpatensi Profefſor; &
 BAAZII Inventar. Eccles. Sveo-Gotbor. p. 774. ex quo
 petitum eft hic inſertum programma Skytianum, quod
 Germanica lingua Menius exhibet.

ad opus perficiendum facerent, sedulo ac liberaliter procurans, insigniaque jura & privilegia concedens. Interim, donec ad effectum ita pervenire consilium potuit, ut solenni festivitate initiationis sacra peragerentur, valvis templi a. MDCXXXI. d. 1 Aprilis affixus est Status Academicus, novoque donato Lyceo suus datus est Pro-Rector. Sequ. vero anno Regiae Majestatis confirmationis literis e Germania castrisque Norimbergicis perlatis, cum instarent inaugurationis solennia; iterum edito publico programmate Magni Regis merita erga Livones eorumque rem literariam idem L. B. & Generalis Gubrnator prædicat & ad ista solennia d. 15 Octobr. celebranda sic invitat:

Johan Skytte der Elter, Freyherr zu Duderhoff m. m. Fuege allen und jeden dieser Provinz Loefflandt Einwohnern, was Burden und Standes dieselben seyn, und allen andern Eingesessenen zu wissen, wasmassen denselben inverborgen seyn wird, es auch außer- und innerhalb Landes erschollen, welcher gestalt der Durchlängtigste Grossmächtigste, Fürst und Herr, Herr Gustaff Adolff, der Schweden, Gothen und Wenden König, Gross-Fürst in Finlandt, Herzog zu Chesten und Carelen, Herr zu Ingermanlandt m. m. mein allergnädigster König und Herr, aus ganz Christlicher und Königlicher Vorsorg, so dieselpb anfangs, da sie durch Götlichen Beostandt dieser zerstörten, und in viele wege an vielen örthern zum Abgöttischen Überglaubischen wesen gewandte Provinz Loefflandt getra-

getragen, für zwey Jahren ein Gymnasium alhie in Ihrer Stadt Dörpeth angeordnet, dasselb mit Gelehrten Leuten versehen, damit die liebe Jugend, Reich und Arm, Tertische und Untentsche, aus den Barbarischen moribus gerissen, und zu Götlichen und Menschlichen Satzung in ihrer zarten Jugend durch lesen, schreiben und guten Künsten aufzgewachsen, und daz erste fundament legen möchten. Ob nun wol solch Ihr Königl. Mayest. Christliches Werck, da keiner von allen Regenten, so dieser Provinz vorgestanden, seine Gedancken im geringsten dahin gesetzt, wie die Einwohnere von Jugend auf gegen Gott und Menschen sich recht zu schicken hetten und mügen erzogen werden; Solches ist Sonnenklahr am Tage, dass auch, da Ihr Königl. May. das Landt einbekommen, außerhalb einer und andern Stadt keine rechte wolbestalte Evangelische Schule von den Einwohnern ist fundiret gewesen; Dahero die ihrigen ganz in cult und ohne einige Wissenschaft der freyen Künste fast aufgewachsen müssen. Nun ist kein zweiffel, dass alle Eingesessene solche Ihr. Kön. May. grosse Wollthat für eine besondere Gnade Gottes erkennen, sondern auch ob wol Ihr. Königl. Mayest. es daben hetten anzustehen und bewenden lassen, und Ihre Königliche Gedancken zu diesen schweren Kriegszeiten, womit Sie überheuffet, zu jetztigem uffstande hette richten können, Dennoch haben dieselb auch in hoc flagrantissimo strepitu belli Ihre Königliche Gnade, nach deme Sie nunmehr das Kirchen Regiment

giment und Justicien Werck angeordnet und vollendet, und mehr dann Väterliche Vorsorge, so sie zu dieses Landes Einwohneen tragen, ein hochmehre Gnade erweisen wollen, In demie Sie an-gezogenes Gymnasium alteriret, augiret, und nunmehr zu einer Universität oder Academia geordnet, mit Gelahrten Professoren in allen Faculteten, Freyen Künsten und allerley Sprachen, und zu erhaltung einer Communitat oder Convict nicht mit geringen Untosten rühmlich versehen, und sonsten zu allem Auffenthalt herrlich dotiret, mit dignithäten præminentien, Freyheiten, und Privilegien in allem, gleich allen andern, und insonderheit Ihrer Königlichen Academia zu Ubsala der-gestalt begabet. Dieses alles werden die Einge-sessene und ihre Posterität billich grossachten, und als ein besonder Geschenke Gottes mit Dankbarem Gemüthe zu ewigen Zeiten erkennen, daß nunmehr thre Kindere, dadurch der vorigen Barbarey entwehnet, und Arm und Reiche, Deutsch. und Unteutsche, gleich für der Thür, in allen Facultäten, guten Künsten erzogen, selbst ein Auge auff dieselben haben, nicht für ihren Jahren, öfters zu ihrem Verderb, in frembde Lände verschicken und vergebliche Untosten verthun dürffen; Ja es ha-ben die Einwohnere nunmehr nicht nöthig mit Auß-ländern ihre Kirchen. und Justicien Regimenter zu bestellen, besondern können dieselben mit ihren ein-gebohrnen Kindern versehen werden. Wann nun Ihr. Königl. Maj. solche Academia mit allen re-quiritis

quisitis confirmiret; Als hab ich (gönts Gott) auff befehlich Ihr. Königl. Maj. höchstgedacht, bey mir beschlossen, künftig den 15 Octobris dieses 1632 Jahres publice dieselp zu installiren, Männiglichen dadurch fundbahr zu machen, alsdann solche Ihr. Königl. Majest. grosse Gnade sich selbst für die Augen zustellen, in schuldiger dankbarkeit zu ruhmen, und Gott und Ihr. Königl. Majest. für solche herrliche Wolthaten von Herzen zu recken und zu preisen. Wozu wegen Ihr. Königl. Maj. Ich alle Einwohnere, anwesend als abwesend, wes Standes und Würden die sein, dasselbe neben Mir zu-thun trewlich will ernahnet haben. Urfkundlich eigenen Handzeichens und usf gedruckten In-siegels. Datum Dorpath am 21 Septembris Anno 1632. *)

Johan Skytte.

Dies hic, inaugurationis solennibus dicatus, cum illuxisset; designati Professores cum magno studiosorum numero in Auditorium majus, quod tapetis, aulæis, pictura & versicolori textura, spectabilibus pannis sericis & omnis generis apparatu Attalico exornatum erat, se contulerunt. In audi-torio hocce majori ante cathedram mensa magni-centissime fuit adornata, in qua Regalia, Privilegia, Libri, Sigilla & alia Academizæ insignia flavo & cœruleo serico involuta fuerunt reposita. Octavam circiter horam matutinam omnes civitatis campanæ

b 3

pulsar-

*) Extat apud MENIUM l. c. hocce programmz.

pulsabantur, & hoc dato signo S. R. Majestatis Legatus Gen. Gubern. *Skytte* ex aula Regia Dorpatensi ad Collegium Academicum processit; & hunc quidem processum præter illum condecorarunt Illustres, Generosi, Nobilissimi & Amplissimi Legati: a summo Dicasterio trium provinciarum Livoniæ, Ingriae & Careliae s. Dorpatensi *Petrus Sparre* Regni Sveciæ Senator, istius Regii Dicasterii Præses Dominus de Sundby ac Lidboholm, & *Fabianus Platner* Assessor & Livonicæ Nobilitatis in Lettonia Magister Equitum, Hæreditarius in Felck & Kioma; a Proceribus & Nobilibus in Estonia *Bernhardus Taube* de Maydel & Koss, *Magnus Nierodt* de Weetz & Terraſter & *Otto Wilhelm Taube* de Riesenberge ac Finne, uterque Regii Dicasterii Dorpatensis Assessor; a Civitate Rigeni *Gotthard Welling* Reg. Maj:is Svec. Consil. Aulicus & Sup. Prætor. Civ. Hæred. de Gewara; a civitate Revalensi *Georg von Wangersen* de Hackenhof Consul & *Andreas Stampel* Assess. Reg. Dicast. Dorpat. & Cur. Reval. a S. Ministerio Reval. M. *Ludovicus Dunte* Ecclesiastes ad Templ. S. Olai ibid. a Civit. Dorpat. *Nicol. Teschen* Consul, & *Nicolaus Russé* Assess. Cur. a Civ. Pernaviensi *Fridericus Peitman* Prætor & a civit. Narvensi *Martinus Hendesius* Secretarius. Post Legatos exiit de arce Castellanus *Jobst Taube* de Mønekorb & Kudding, Chiliarchi locum inter Milites præfidiarios tenens, cum Regii Dicasterii Assessoribus & arcis Ministris Regiis. Sequebantur reliqui Nobiles & Pastores rurales. Agmen

men cludebant cæteri e Senatu civitatis Dorpatensis, & cives hujus aliarumque urbium plurimi, multique honorati viri, qui omnibus e terris Livonicis Dorpatum confluxerant. In Auditorium progressi Generalis Gubernator cum Legatis & Hostibus inclytis ad dextrum, Professores vero ad sinistrum Cathedræ latus confederunt. Chorus Symphoniacus & piæ preces actum inaugurationis aperuerunt.

Tacentibus plectris, Generalis Gubernator oratione panegyrica ipsam mox solennitatem inchoavit; tempora hæcce præ prius felicia prædicavit, Regiæ Majestatis magnificentiam & in literarum studia serenissimam Clementiam enarravit, propensum affectum promovendi literas & veram religionem in terris Livonicis commendavit. Fundatorem dixit Regem Augustissimum **GUSTAVUM ADOLPHUM**, qui tot & tanta bella gesserat, qui inter Martis castra illustrari voluit Musarum sceptræ, qui, ne Mars unquam obsit Livonicus, ex Ingria, ut terra remotiore, redditus Musis hisce voluit persolvere, qui beneficium hoc commune statuit esse Nobilibus & Ignobilibus, advenis & indigenis, qui ita optavit omnia disposita esse, ut non per inanes ambages, sed aperta & plana via ad scientiarum penetralia Studiosi perducantur. Quibus graphicæ & oratorie dictis, Ordines Statusque Livoniæ admonuit, ut tantum DEI donum & Regiæ Majestatis magnificentiam reverenter agnoscerent, & Academiam

miam hanc ut Capitolium æternitatis venerarentur; & illius commoda promoverent; ipsos mox Professores omnes & singulos suscepiti admonuit officii; Studiosam denique juventutem, suarum quid esset partium, ne unquam obliviscerentur, adhortatus, Diplomata, Privilegia indulta, Regalia, Insignia, Sigilla, Sceptra, Epomidem, Privilegiorum & Statutorum libros, ipsamque Academiæ matriculam Professoribus tradidit & asservanda commendavit. Mox jussit Regium Fundationis Diploma, sindone inclusum, ab Academiæ Notario explicari: explicuit igitur & recitavit his literis consignatum:

„ Nos GUSTAVUS ADOLPHUS D. G.
 „ Svec, Goth. Vand. Rex, Magnus Princeps Fin-
 „ landiæ, Dux Esthoniæ & Careliæ, Dominus In-
 „ griæ, &c. significamus omnibus ac singulis, præ-
 „ fertim subditis nostris, postquam tota Livonia
 „ nostro regimini Divina dispositione cessit, factis
 „ sexennialibus induciis, laboravimus continue, ut no-
 „ stri ibidem subditi toro convenienti gauderent.
 „ Commodorem huic intento non invenire potui-
 „ mus modum, quam ut duo illa fundamenta omni-
 „ um KerumpUBL. PIETAS & JUSTITIA postliminio
 „ revocarentur & florarent. Quoniam vero nos mul-
 „ tis negotiis totius Christianæ Ecclesiæ implicare-
 „ mur, constituimus Nobis dilectum Prælustrem D.n
 „ Joh. Skytte L. B. in Duderhoff &c. Nostrum
 „ Regnique Svec. Senatorem, ut in Livonia & pro-
 „ vincis adhærentibus plena potestate præsideret. Hic
 „ nostro consensu ac voluntate erexit Gymnasium
 „ in

„ in Civitate Nostra Dorpatensi, cuius amplificatio-
 „ nem meditari Nostri esse officii agnoscimus. Ad
 „ petitionem igitur præfati D:n Joh. Skytte *) or-
 „ dinamus, statuimus & confirmamus in ea Civita-
 „ te, juxta tenorem harum literarum, Academiam
 „ & universitatem, in qua proponantur Exercitia
 „ omnium liberalium facultatum sc. Theologicæ,
 „ Juridicæ & Medicæ, cum Philosophia vera; &
 „ hanc constitutionem in omne ævum volumus du-
 „ raturam, ut discentes artium liberalium habeant
 „ hic locum suis studiis aptissimum. Quoniam nul-
 „ la societas sine ordinatione & privilegiis durare
 „ potest, ordinamus & confirmamus Docentibus &
 „ Discentibus Nostræ Acad. Dorpatensis eadē pri-
 „ vilegia immunitates ac jura, quibus Nostra Acad.
 „ Ubsaliensis gaudet, non aliter quam si verbum de

c

verbo

*) Non igitur dubitandum est, quin Academiæ hujus condendæ Regi Auditorem imprimis tuisse summum hunc Mæcenatem, vere dixerint Fried. Lucæ in Europæisch. Helic. p. 257. & Bruxen la Martiniere Diction. Geogr. tit. Dorpt, quod idem monuisse video Reg. Secret. Celeb. Dñnum Carolum L. Kämpe in Disput. de Academiis Orbis Lutherani P. II. p. 14. n. b. ubi quoque observat, Archi-Episc. Upsaliensem Petrum Kenicium de hac Academia erigenda consilium etiam dedisse, teste Rhyzelio Episcop. P. I. p. 66. hæc tradente: På Hans (A. B. Kenicij) tilsyrlande hafwer den i alt mala- löse Konungen S. GUSTAF ADOLPH gifvit U- psala Academie den stat, ordning och flor, som hon hitintil njuter och myttjar, på helliga privilegier upprättat en ny Academiæ i Dorpt.

„ verbo huic nostro Diplomati subscribantur, idque
 „ voluntate integra & potestate plenaria ; addendo
 „ iis hanc exceptionem: Si Tempora fuerint belli.
 „ cosa (quod longe avertat DEUS) ut non sit tutum
 „ Musis hospitium, habebunt Professores potestatenⁱ
 „ transferendi Exercitia Academica in aliau Livo-
 „ niæ vel Esthoniæ Civitatem pace ornatau, ubi
 „ datis privilegiis plene utantur. Hac ordinatione
 „ confirmamus donationem prædiorum in Ingria,
 „ Academiæ Dorpt. munificentia Regia collatorum,
 „ ex quorum redditibus aniversaria salario Professores,
 „ & beneficium stipendii habeant Studiosi. Quam-
 „ obrem mandamus universis ac singulis nostris sub-
 „ ditis, nobisque confederatos clementer rogamus,
 „ ut nostræ Academiæ Dorpt. tanquam seminario
 „ pietatis & artium liberalium, summa benevolentia
 „ faveant, Reverendiss. huic corpori suum honorem
 „ deferant, iisque privilegiis ipsum complexum gau-
 „ dere sinant, quæ eidem Regia clementia donavi-
 „ mus, juventque singuli pro posse, ut hoc semina-
 „ rium Ecclesiæ bonæque Politia floreat æternum,
 „ quo maximum persentiat emolumentum, non so-
 „ lum nostrum Regnum, sed tota Respubl. Chri-
 „ stiana. Tale amicorum benefictum singulari be-
 „ nevolentia compensare volumus, nostrisque subdi-
 „ tis Clementiam Regiam vicissim repónimus. In rei
 „ certitudinem veramque Privilegiorum confirma-
 „ tionem subscribimus. Nostram manum, & Sigil-
 „ lum Regium huic Diplomati apponi curamus. Da-
 „ tum

„ tam in Castris Norenbergicis ultima Junii Anno
 „ Chr. 1632. *)

Idemque, jubente Gen. Gubernatore, scriem
 Professionum, Regia Majestate ordinatarum, sic reci-
 tavit:

Designatio Professionum

quas Serenissimus ac Potentissimus Princeps ac Do-
 minus, Dominus GUSTAVUS A DOLPHUS,
 Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Ma-
 gnus Princeps Finlandæ, Dux Esthoniæ Careliæque
 nec non Ingriæ Dominus &c. Dominus noster Cle-
 mentissimus &c. in Academia hac Dorpatensi beni-
 gnissime ordinavit:

In Facultate Theologica
 Professores duo ordinarii, cum duobus extraordina-
 riis.

In Facultate Juridica
 Professores duo.

In Facultate Medica
 Professores duo.

In Facultate Philosophica.
 Politices: unus.
 Ethices: unus.
 Physices: unus.
 Historiarum & Antiquitatis: unus.
 Matheseos: duo.

Linguæ

*) Regium hocce Diploma apud BAAZIUM l. c. p. 783.
 sq. extat; in linguam Germanicam translatum exhibet
 MENIUS l. c.

Linguæ Hebrææ & aliarum Orientalium: unus.
 Linguae Græcae: unus.
 Oratoriaz: unus.
 Logices: unus.
 Poëseos: unus.

Hicce peractis, nomine Universitatis surrexit M. Henricus Oldenburgius Oratoriaz Professor publico Professorum & Academiaz, simulque totius ecclesiæ & Reipublicæ, in circumjacentibus præcipue Provinciis constitutæ, nomine gratias agens submissas, quod Regia Majestas hanc pietatem & Clementiam subditis suis promtissime declaravit, Regiumque hoc beneficium grato animo ab omnibus bonis agnoscendum nec apud seram posteritatem intermoritrum esse promisit &c. *)

Hinc,

*) Fusius Orationes singulas recensent Menius & Baazius ll. cc. p. 777 — 779, ita, tamen, ut hic illum recentem secuturi ejus verba compendii fecisse videatur, nec vero potuit non magna esse in hoc argumento fides Menii, qui ipsum Gen. Gubernatorem perorantem auditivit, eaque ex ejus oratione se repetere moneret, quæ in ista festinatione excipere potuit. Prodiit vero Dorpati a. 1638 in 4:o oratio, cui titulus: *Encomion Regiae Academiae Gustavianaæ, quæ Dorpati est ad Embecum, a Rege Svecornm &c. GUSTAVO ADOLPHO* augustissime & magnificentissime fundatae & 15 die Octobr. a. MDCXXXII solennissime introductionis natales celebrantis; Auctor est Bothvidus Jone Hellenius Sudermannus, qui eam Dorpati a. MDCXXXVIII d. 12 Junii habuit. Amice cum Menio & Baazio conspirat, nec facile vel falli vel fallere potuit, qui in eadem hac Ade-

Hinc, ut a choro symphonico factum est initium, ita Musica figurata in auditorio finitur actus hic panegyricus; singulisque sic finitis, Gen. Gubernator quo comitatu accesserat, eodem ordine in ædes D. Mariæ, cujus valvis & parietibus magnus Carminum numerus, gratulationes continentium, solennitati huic convenientes, affixus erat, se contulit, adytumque templi serico ornatissimum est ingressus; quando interea Professores in collegio ad mensam, in qua Regalia & alia ornamenta deposita erant, accesserunt, & reverenter acceptarunt, Ministrosque Academicos mensam cum Regalibus in adytum templi D. Mariæ transferre jusserunt. Professores in templum progressi & venientes, ubi alterum adyti latus occuparunt, secuti sunt Ministri Academiaz, qui longis rubrisque tunicis induti mensam cum Regalibus ferebant, & ante Professores deponebant. Postea incessit nobilis & studiosa juventus. Interea symphonico choro omnia in Templo personuerunt. Finita Musica, suggestum, decenter ornatum, ascendit Andreas Virginius S. S. Theol. D. & Profess. concionem habens ex Ps. CXVII *)

c 3

eaque

mia vivens & perorans, solennia descripsit, quorum adeo recens memoria fuit. Hujus vestigiis Historicorum studiosior, quam oratoriuni, in tradenda hacce solennitatum historia insistere malui, ex reliquo ratiōne paucū nonnulla addens, quæ ab eo sunt p̄ ætermissa.

*) Das Exordium, inquit Menius, soll er auf dem 7 Capitel Luce von dem Hauptmann welchen die Juden gegen CHRISTO rühmeten, daß er sie lieb habe und ihre Schulen etc.

eaque habita, Musica audiebatur figuralis. Deinde positam ante aras egregie ornatam Cathedram ascendens solennem orationem de *Conscientia* recitavit SS. Theol. Lic. & Profess. M. Georgius Mancelius jam olim constitutus Magnificus Pro-Rector, quam ad actum hunc panegyricum accommodatam, singulari & devota gratiarum actione cum conclusisset, Academiæ hujus Gustavianæ Rectorem Magnificentissimum & Illustrem Jacobum Skytte L. B. in Duderhoff, Filium Gen. Gubernatoris, illustri ceremonia declaravit, & Pro-Rectorum Professorum Doct. Andream Virginium, qui Magnifico Rectori consilio & auxilio adesset, nominavit. Constituto Rectori Magnifico Mancelius tradidit librum aperatum, in quo conscriptæ erant constitutiones Academicæ, Matriculam, Sigillum, Sceptra argentea, Claves fisci & carceris, cum tunica, quam induebat, purpurea; posteaque descendit & locum suum occupavit, peroratum in Cathedra relinquens Illustrem Rectorem Magnificum, qui elegantem habuit orationem de Fundatione hujus Academiæ, quæ Serenissimum Regem celebriorem, quam multæ victoriæ bellicæ, æternaque memoria dignum redderet;

regi-

bauet, applicirte solches alles aufs kegenwertigen Actum. Den Text an sich theilete er in 2 Stücke und erklärte 1) Wer der Herr were, welcher man loben sollte und warumb. 2) Wer die waren, so zu Gottes lobe billig anzureihen waren. Beydes applicirte er aufs den kegenwertigen statum und auf diesen Actum, auch auf die Einwohnere dieser Stadt und Landes.

regiamque hanc clementiam ut omnes regionis incolæ grata mente celebrarent, admonuit: ad Professores conversus gratias illis egit, quod juvenilem tuam ætatem huic honori & officio parem judicarant, omnemque se diligentiam exhibitum promisi, ut officium recte administraret: ac tandem studiosos hortatus est, ut pietatem & literas colendo Ecclesiæ & Reipublicæ consularent. Finita oratione, cum descendebat & Professoribus assidebat; musicus personuit chorus & organa. Accedit Magister Palatii & signum discedendi dedit. Præcessit, & e vestigio secuti sunt cum sceptris Ministri Academiæ; Illustris Rector Magnificus & Professori solenni pompa insequebantur. Paulo post Generalis Gubernator cum Dominis Legatis aliisque Hospitibus eodem, quo diëtum est, ordine processerunt. In plateis usque ad curiam milites ordinatim ad utrumque latus dispositi erant, & tormenta bellica majora & minora in signum gratulationis per totius civitatis circuitum plus vice simplici exonerabantur, adeo ut dices

Crebris micat ignibus æther.

Quod reliquum fuit diei, regali convivio, in curia ordinato, non sine pia & devota lætitia, est transactum, sequentes vero dies perorando, disputando, & actu promotionis in Philosophia sunt transmissi.